



**R. P. Fr. Ioannis Poncii, Corcagia-Hiberni, Ordinis Ff.
Minorvm, Sacræ Theologiæ Lectoris Ivbilati, Olim in
Collegio Romano S. Isidori Primarij Professoris;
Philosophiæ Ad Mentem Scoti Cvrsvs Integer**

Poncius, Joannes

Lugduni, 1659

2. Quomodo habitus qcquiruntur per actus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95688](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95688)

in ea qualitas absoluta facilitas, & consequenter habitus.

Hinc probatur secunda pars: quia etiam appetitus sensitivus per varios actus acquirit facilitatem prosequendi aliquod obiectum, in quo prosequendo sentiebat ante difficultatem, & hinc minus aliquando resistit rationi, ac voluntati, & aliquando magis, prout consuevit magis, vel minus resistere: ergo debet in eo poni aliquid, ratione cuius ita disponatur: sed nihil potius, quam qualitas aliqua absoluta; ergo etiam in appetitu sensitivo collocanda est talis qualitas, & consequenter habitus.

12. *Ad hoc responderi posset*, difficultatem, quam sentit voluntas, aut appetitus sensitivus in prosecutione alicuius boni, oriri ex apprehensione aliqua, aut cognitione difficultatis annexae; quatenus scilicet illud bonum non potest acquiri sine molestia, & labore, vel quatenus impedit aliud bonum magis placens, aut desideratum, aut quatenus ob eius prosecutionem proponitur aliquod malum infligendum. Quod si non esset hæc apprehensio annexa bono proposito, nec voluntas, nec appetitus haberent difficultatem in eius prosecutione: ergo sufficit tolli illam apprehensionem; sed illa tolli non potest per habitum ullum positum in voluntate, aut appetitu: ergo facilitas, quam sentit voluntas in operando, non oritur ex qualitate aliqua, aut habitu posito in ipsamet voluntate.

Confirmatur hoc specialiter de appetitu sensitivo, quia appetitus sensitivus est potentia naturaliter determinata ad agendum circa obiectum propositum secundum illam rationem, secundum quam prosequitur obiectum: ergo non debet poni in ea habitus magis quam in visu, aut aliis externis potentiis, aut magis quam in potentiis cognoscitivis in ordine ad apprehensiones simplices.

Confirmatur secundo: Difficultas, quam sentit in operando, oritur ex apprehensione alicuius mali: ergo quamdiu est illa apprehensio, debet sentire difficultatem, quia æquè determinabitur postea ac primo, cum sit potentia naturalis: ergo difficultas illa nequit tolli, nisi ablata illa apprehensione.

13. *Contra:* Licet difficultas, quam habet voluntas in operando, nonnunquam oriatur ex apprehensione mali, & posset etiam tolli per ablationem illius apprehensionis absque habitu, ut si quis apprehenderet laborem aliquem valde gravem, & propterea abhorreret ab illo, postea tamen experiretur non esse tam gravem, & propterea non abhorreret ab illo; tamen experientia etiam constat, quod difficultas quam sentit, siue oriatur ab apprehensione, siue non, non tollatur per ablationem apprehensionis illius, quia ea manente sicut prius, aufertur difficultas, aut magna ex parte, aut totaliter: nam si quis non obstante difficultate, quam sentit in vivendo temperate, ex eo quod apprehendat tali modo vivendi privari se voluptate, quæ esset in intemperata vita frequentaret vitam temperatam, quamvis maneret eadem apprehensio semper, non sentiret tamen postea eandem difficultatem.

Deinde, qui habent difficultatem in male vivendo ab initio ortam ex consideratione offensæ Dei, aut iacturæ honoris, siue mutatione apprehensionis frequentibus actibus eo deveniunt, ut non sentiant illam difficultatem: ergo aliquod principium facilitans acquiritur ex parte voluntatis, aut appetitus, præter principium tollens apprehensionem.

Rursus difficultas operandi oritur ex ipsamet operatione formaliter, ex eo scilicet, quod sit contra inclinationem voluntatis, aut appetitus, unde fit ut aliquando aggrediamur aliquod opus in quo non apprehendimus difficultatem magnam, quod postea tamen omittimus ad hoc induciti experientia difficultatis in eo exercendo repertæ. Nec sane hæc difficultas potest tolli per apprehensionem ullam, quamdiu remanet, sed remanebit semper, nisi aliquid aliud ponatur ex parte potentiae, ratione cuius quod ante erat difficile ex natura sua, postea non sit difficile: illud autem est habitus seu qualitas posita ex parte voluntatis, aut appetitus. Per hæc patet ad replicam.

14. *Ad primam autem confirmationem* nego consequentiam, & ratio disparitatis est, quod appetitus licet sit potentia naturalis, sicut potentia visiva, sit tamen potentia,

quæ possit habere, & prosecutionem, & fugam circa idem obiectum, ex quibus unus actus est magis, aut minus iuxta suam inclinationem, aut dispositionem præsentem, unde, ut possit etiam habere alium actum cum minori difficultate, quando ad ipsum determinatur, debet poni habitus: potentia autem externæ non sunt nata habere oppositos actus circa idem obiectum, unde est necessitas ponendi habitus in illis.

Ad secundam confirmationem, permisso antecedente, distinguo consequens: si potentia eodem modo se habeat, transeat; si non, negatur. Itaque licet apprehensio difficultatis posset movere voluntatem non habituata, non tamen esset necesse ut moveret habituata.

Respondeo secundo, non ex apprehensione oriri difficultatem, sed ex natura actus, quem experitur difficilem voluntas non habituata, quæ tamen, quando habituata est, non ita sentit ipsum.

15. *Hinc potest ulterius probari conclusio:* actus aliquis ex natura sua potest esse facilis voluntati, aut appetitui, quando non habet inclinationem aliquam actualem sensibilem in oppositum, qui esset ipsi difficilis si haberet talem inclinationem, & e contra: ergo, ut tollatur difficultas, quam experimentatur voluntas in exercendo aliquem actum, ex natura ipsiusmet actus proveniens, debet poni in illa propensio ad illum actum, & tolli propensio sensibilis ad oppositum actum; & ut tollatur facilitas, quam sentit in exercendo actu, debet poni propensio ad oppositum, & tolli propensio ad illum actum; sed hoc nequit fieri nisi per habitum aliquem positum in illa potentia: ergo datur talis habitus.

Confirmatur conclusio, declarando quomodo generantur habitus, seu qualitas absoluta sic dicta in potentia. Potentia, quæ est ex se valde inclinata ad aliquem actum, v.g. ad temperantiam, non sentit difficultatem in temperate vivendo ex natura ipsiusmet actus, & consequenter si proponatur ipsi per potentiam cognitivam temperata vita sequenda, non excitaretur in ipsa per illam propositionem aversio ulla, aut fuga, aut displicentia actualis, sed potius amor, aut desiderium istius boni: hoc tamen non obstante voluntas posset contra illam inclinationem elicita libere velle hic & nunc intemperate vivere; ille autem actus relinquit in potentia aliquod principium inclinans ad talem actum iterum producendum, & alius actus relinquit aliud, donec potentia illa magis, aut æquè inclinetur virtute istius principij ad intemperate videndum, quam ante inclinabatur ad vivendum temperate; quando autem est in tali statu, cum proponitur intemperate vivendum, excitatur desiderium eius in potentia, & actus ipse est gratus ipsi, ac consequenter facilis: quando vero proponitur temperate vivendum, excitatur aversio ab illa, & actus ipsemet est molestus, ac consequenter difficilis. Quod autem ita fiat, colligitur ex eo, quod hic modus explicandi, quomodo fiat illud, quod experimur fieri, quantum ad difficultatem operandi, sit facilis, absque ullo inconuenienti, quod non possit melius explicari quomodo fiat.

Et per hæc patet ad fundamentum præcipuum oppositæ sententiæ, quæ in hoc consistit, quod non sit necessitas huiusmodi habituum; ita enim ostensa est eorum necessitas: etiam non obstante quod voluntas esset potentia naturalis.

QVÆSTIO II.

Quomodo habitus acquiruntur per actus.

16. Supposito ex quæstione præcedenti acquiri habitus medianibus actibus, quaeritur iam in quo genere causæ actus concurrunt ad productionem habituum.

Prima sententia est, actum concurrere ad habitus in genere causæ materialis, ac dispositivæ. Ita Durandus 3. dist. 33. q. 3.

Secunda sententia est, quam amplectitur Buridanus 2. Ethic. 3. Habitum produci per actum, tamen per actionem, sicut calor producit per calefactionem.

Tertio

Tertia sententia vult, habitum produci per actum, tanquam causam instrumentalem potentie. Ita *Conradus* 1. 2. q. 51. *Valentia* q. 3. de habitibus.

Quarta denique sententia affirmat habitum produci per actum, tanquam causam unicam effectiuam principalem. Hæc est *Doctoris* in 1. dist. 17. quæst. 2. ac aliis locis, quem præter suos omnes, sequuntur recentiores communiter, *Suarez* dist. 44. met. sect. 8. *Vasq.* 1. 2. dist. 79. *Auersa* q. 49. & alij plures.

CONCLUSIO I.

Habitum produci per actum effectiuæ, tanquam per causam principalem, ac totalem. Hæc est iuxta quartam sententiam contra omnes alias.

*Probat*ur effectiue, quia posito actu ponitur, & non posito non ponitur, nec est vllum inconueniens quod dicatur poni ab ipso effectiue, tanquam à causa totali vnica ac principali: ergo dicendum est, quod ita ab illo producat.

17. *Dicitur*: actus non potest esse causa principalis vniuoca, cum sit diuersæ speciei ab habitu, nec æquiuoca cum non sit perfectior: ergo nullo modo potest esse causa principalis adæquata actus.

Respondetur primo negando antecedens pro secunda parte, quia quamuis non sit perfectior, posset tamen esse æque perfectus, quia species diuersæ possunt esse æqualis perfectionis, & quæ sunt æqualis perfectionis possunt à se inuicem produci efficienter non minus, quam quæ sunt eiusdem speciei, nisi aliunde colligatur oppositum.

Respondetur secundo, negando antecedens cum sua probatione, nam actus sine dubio est perfectior ex sua ratione formali quam habitus, tum quia maior est dependetia habitus ab ipso, quam ipsius ab habitu, quandoquidem possit simpliciter produci absque habitu naturaliter loquendo, habitus vero non possit sine ipso; & quandoquidem actus non dependeat ab habitu, nisi tanquam à causa partiali effectiua, habitus vero dependet ab actu, tanquam à causa totali; tum quia perfectiorem exigit actus causam totalem, quam habitus, quia habitus exigit solum actum pro causa totali, actus vero exigit potentiam semper, aut tanquam totalem, aut tanquam partialem; tum denique, quia totum munus habitus est inclinare ad actum, nec poneretur vlla ratio, nisi propter actum habendum: ergo actus est perfectior.

18. *Probat*ur secunda conclusio impugnando alias sententias.

Impugnatur ergo prima sententia, quia actus non est dispositio materialis requisita ex parte potentie ad conseruationem habitus: ergo neque ad productionem.

Hanc impugnationem rejicit *Auersa*, quia aliqua dispositio potest esse requisita ad introductionem, quæ non requiritur ad conseruationem: sic mollicies in cera requiritur ad introductionem figuræ, sed non ad conseruationem: sic etiam plus frigoris requiritur ad introductionem formæ aquæ quam ad conseruationem, neque enim tantum frigoris, quantum est in aqua valde calida, posset sufficere ad introductionem aquæ.

Sed contra: licet posset dispositio aliqua requiri ad introductionem formæ, quæ non requireretur ad conseruationem, hoc tamen propterea fieret, quia posset aliqua specialis ratio ostendi, ob quam ita requireretur: vt contingit in exemplo de cera, nam propterea mollicies requiritur ad introductionem figuræ, quia debet introduci per receptionem alterius corporis intra partes ceræ, quæ receptio non fieret, nisi cera esset mollis; non debet autem mollicies requiri ad conseruationem figuræ, quia sine mollicie partes ceræ, quæ cedebant ante, poterunt manere in eadem dispositione, & situ, & si maneant manebit figura, quæ in tali situ partium ceræ consistit.

Rursus plus frigoris requiritur ad introductionem formæ aquæ, quam ad conseruationem, quia frigus solum non est dispositio ad formam aquæ, & causa productiua dispositionis reliquæ ad ipsam est productiua tanti frigoris, vnde debet tantum producere; causa vero calefactiua aquæ & destructiua frigoris non est tam potens ad destruendas alias dispositiones conseruatiuas, vnde non

est mirum quod plus frigoris acquiratur ad productionem quam ad conseruationem formæ aquæ.

In casu vero nostro nulla prorsus assignari potest ratio, cur actus requireretur tanquam dispositio necessaria ad recipiendum habitum primo productum, & non requireretur ad eius conseruationem.

Impugnatur ipsemet Auersa primam sententiam, quia dum quis non acquirit habitum, quia non exercet actus, hoc non oritur ex defectu dispositionis passiue, sed ex defectu principij actiui; ergo actus est effectiuius habitus.

Sed hæc impugnatio manifeste petit principium, antecedens enim est directe quod negatur ab aduersario.

19. *Impugnatur præterea*, quia si Deus infunderet habitum per se acquisibiles absque actibus, non diceretur supplere defectum dispositionis passiue, sed virtutis actiue: ergo actus habet actiuitatem respectu habitus.

Hæc etiam impugnatio eodem vitio petitionis principij laborat: aduersarij enim sententia directe opponitur antecedenti.

Impugnatur denique, quia debet dari aliqua causa effectiua habitus, sed alia assignari nequit nisi vel actus vel potentia; si actus, habetur intentum: si potentia, adhuc actus se tenet ex parte principij actiui, & erit ratio agendi, cur potentia efficiat, perinde se habens ad habitum, sine producat in ipsamet potentia, in qua est actus, siue in alia potentia; sed si produceretur in alia potentia, actus non haberet se per modum dispositionis materialis & receptiue: ergo neque sic se habet respectu habitus producti in eadem potentia.

Hæc etiam impugnatio non sufficit, quia negari potest subsumptum pro secunda parte: secundum *Durandum* enim requireretur tanquam ratio receptiua; vnde si à solo Deo produceretur actus in potentia, potentia tum posset producere habitum, cum tamen tum actus non esset ipsi ratio agendi: non ergo perinde se haberet actus ad habitum, qui produceretur in alio subiecto ac in proprio: quia non posset disponere passiue alienum subiectum, nec consequenter posset potentia eo mediante producere habitum in alieno subiecto. Quod si etiam posset, tum quidem actus esset ratio agendi quasi effectiue in ordine ad subiectum illud alienum; sed esset solum ratio recipiendi in ordine ad subiectum proprium.

20. *Impugnatur secunda sententia* ab eodem *Auersa*, quia actus voluntatis, verbi gratia potest intelligi secundum totam suam essentiam absque ordine ad habitum; sed actio dicit essentialem ordinem ad terminum: ergo actus non est actio, per quam producat habitus.

Contra, quia quamuis actus voluntatis, vt est actus ipsius, per quem formaliter vult obiectum, possit intelligi sine habitu, tamen idem actus realiter loquendo posset esse productio habitus, & vt talis non posset intelligi absque habitu; vnde in forma distingui posset maior: secundum totam suam essentiam quatenus actus est, transeat; quatenus est præterea productio habitus, nego maiorem.

Et retorqueri potest ratio: Actus ille potest intelligi quoad totam essentiam æque sine ordine aptitudinali ad habitum, ac sine actuali; sed hoc non obstante habet ordinem aptitudinalem secundum *Auersam*, quia est productiuius habitus: ergo quamuis possit intelligi sine ordine actuali ad habitum, adhuc posset dicere talem ordinem.

Melius impugnatur ab ipso ex principiis nostri *Doctoris*, quia potest esse actus, qui non producat habitum, vt si habitus intensissimus sit productus ante ipsum; sed si esset etiam realiter actio, non posset esse absque termino per ipsum productum: ergo non est talis actio.

Confirmatur, quia nulla est ratio, ob quam Deus non posset quemcumque actum producere absque habitu villo; sed id non posset facere, si actus esset actio per quam produceretur: ergo.

Impugnatur tertia sententia, dicens habitum produci per actum tanquam per causam instrumentalem; quia si requiratur causalitas ipsius villo modo, potius debet dici quod requiratur causalitas eius, vt causæ principalis;

Habitum
produci
per
actum ef-
fectiue.

Actus est
perfectior
habitu.

quia alias alia causalitas causæ principalis requireretur, & sic multiplicarentur entia sine necessitate. Et per hoc etiam probatur quod potentia non debeat partialiter concurrere per modum causæ principalis partialis immediate.

Quæres, an quemadmodum producit habitus per actus, ita etiam augeatur per illos.

21. *Hæc quæstio* supponit augeri habitum, id quod patet experientia, non minus quam dari habitum; nam sicut experientia colligimus nos inclinari ad aliquid, ad quod antecederet non inclinabamur, & propterea dari habitum quo inclinemur: ita etiam colligitur nos magis inclinari ad aliquid, & consequenter dari aliquid quo inclinemur: illud autem non est aliud nisi augmentum habitus: ergo datur tale augmentum.

Respondeo primo, habitum omnem qui acquiritur per actus, augeri per actus intensiores seipso.

Probat, quia per aliquos debet augeri, sed per nullos potius, quam per intensiores: ergo.

22. *Respondeo secundo*, etiam cum augeri possit per minus intensos, & a fortiori per æque intensos. Ratio est: quia nihil impedit quo minus etiam augeatur per huiusmodi actus, neque enim sequeretur aliud inconueniens quam quod simile ageret in simile; quamvis autem simile quoad intensiōem & speciem non possit agere in aliud simile, verbi gratia album ut duo in aliud simile album; tamen non est inconueniens, quod simile in intensiōe tantum & non in specie possit agere in aliud, alias frigidum ut tria non posset agere in calidum ut tria, nec è contra: sed actus & habitus non possunt esse similia nisi in sola intensiōe, cum sint diuersæ speciei.

Dices, actus ut tria non posset generare habitum ut quatuor: ergo nec intendere habitum ut tria, quia si posset intendere, posset primo producere.

Respondeo negando consequentiam cum sua probatione, quia actus non habet virtutem producendi statim tot gradus quot potest, sed requirit ad hoc tempus, ut patet experientia: neque enim statim quis habens intensissimum actum, sentit intensissimum habitum, nisi actus frequenter; unde fit ut non possit ab initio habitum tantæ aut maioris intensiōis, quam ipsemet habet producere, quamvis si continuaretur diu, aut repeteretur, id posset facere.

QVÆSTIO III.

Quomodo habitus concurrat ad actum.

23. **D**Væ sunt sententiæ præcipuæ de hac difficultate.

Prima dicit habitum concurrere solum in genere causæ formaliter determinantis & inclinantis potentiam sine ullo concursu effectiuo. Hanc tenet *Durandus* in 13. dist. 23. q. 4. *Palud.* q. 2. *Rubion* q. 21. art. 3. *Cambrinus* q. 18. *Logice.* *Auersa* q. 49. sect. 8. & alij.

Secunda sententia est, quod habitus concurrat ad actum effectiue tanquam causa partialis. Hanc amplectuntur *Medina* 1. 2. q. 4. *Valentia* q. 1. de Habitibus. *Salas* tract. 10. *Suarez* disp. 44. sect. 5.

Doctores noster 1. dist. 17. q. 2. utramque sententiam hanc probabiliter sustinere videtur, proponit enim & soluit rationes utriusque. *Arriaga* disp. 9. sect. 3. utramque causalitatem habitui tribuit. *Vasquez* 1. 2. disp. 83. putat habitum concurrere efficienter, non tamen ad ipsam substantiam actus, sed ad modum eius.

CONCLUSIO I.

Habitus non debet habere utramque rationem concurrendi ad actum.

Hæc est contra *Arriagam*, & probatur: Vnus tantum ex his modis concurrendi sufficit, & alter omnino superfluit & gratis asseritur; non sunt autem multiplicandi concursus, aut causalitates diuersæ absque necessitate.

Obiicies pro Arriaga, impulsus determinat rem impulsam effectiue concurrendo ad motum: ergo & habitus inclinatur in actum effectiue concurrendo ad ipsum.

24. *Respondeo* distinguendo consequens: si habitus

habeat determinare & inclinare formaliter, nego consequentiam; si non habeat, transeat consequentia. Et sanè eodem modo dicendum est de ipso impulsu, quod nimirum si inclinet formaliter, non inclinet etiam efficiēter, quod si etiam essent rationes aliquæ particulares, ex quibus colligeretur quod impulsus & inclinet formaliter ad motum & cum etiam producat effectiue, negandum esset idem sequi de habitu, quia non sunt rationes simile quid probantes de habitu; neque est necesse ut habeat in hoc proportionem cum impulsu, sicut non habet in aliis rebus.

Obiicies secundo pro eodem: quo intensior est habitus, eo minori cum fatigatione voluntas producit actum: sed hoc non ob aliam causam, nisi quia habitus concurrat effectiue cum illa, & propterea ipsa non debeat tantum adhibere concursus, quantum sine habitu deberet.

Confirmatur, quia quo habitus est intensior, eo potentia potest non obstante distractione maiori, elicere actum suum: sed hoc non aliunde, nisi quia propter concursum suum in actum, & partem exhibere actui, partem aliis actibus.

Respondeo, ex suppositione determinationis formalis, negando minorem: sed illa minor fatigatio orietur ex illa inclinatione & determinatione formali; & certe ut supra dixi, non oritur ex applicatione totius concursus fatigatio, alias intellectus agens fatigaretur producendo species intelligibiles, in quarum productione totum conatum exhibet; & quamvis visus non concurreret efficienter ad unionem, adhuc æque fatigaretur ac de facto fatigatur.

Ad confirmationem etiam respondeo negando minorem: sed ratio est, quia determinatur ac inclinatur formaliter per habitum ad actum illum, & consequenter facilius cum elicit quam alias fecisset, & sine distractione, & cum distinctione.

CONCLUSIO II.

25. *Si habitus concurrat effectiue, concurrat ad ipsammet substantiam actus, & non ad modum aliquem eius.* Hæc est communis, contra *Vasquez*, qui male pro sua sententia citat *Scotum*, cum directe illam impugnet.

Probat, tum quia si concurrat effectiue, nihil impedit quo minus concurrat ad ipsammet substantiam actus: tum quia gratissime asseritur aliquis modus ex parte actus distinctus ab ipso, qui produceretur per habitum: tum quia omnis actus sequitur ipsum: ergo prius debet produci actus quam modus: sed tota difficultas ad quam superandum ponitur habitus, est in producendo ipsomet actu: ergo habitus debet concurrere ad producendum actum pro illo priori ante modum, aliàs ad nihil deferuiet; & consequenter non debet concurrere ad aliquem modum eius.

CONCLUSIO III.

26. *Probabile est quod habitus non concurrat effectiue cum potentia, sed quod determinet ipsam formaliter tantum.* Hæc est iuxta primam sententiam, contra reliquas.

Probat primo Auersa, quia actus producit effectiue habitus: ergo habitus non producit effectiue actus; quia inter causas æquiuocas non potest dari huiusmodi mutua productio, quia una debet esse necessario altera simpliciter perfectior, & cōsequenter non poterit ab illa produci.

Hanc probationem merito dicit esse ad hominem, contra eos qui asserunt nullas duas species posse esse æqualis perfectionis, quia in sua propria sententia id est falsum; unde hæc probatio non sufficeret in ipsius sententia.

Sed neque sufficit etiam in aduersa, quia licet æquiuoca causa non possit producere effectum perfectiorem per modum causæ totalis, potest tamen per modum partialis, nec in hoc est vlla difficultas: habitus autem concurreret partialiter tantum.

Probat ergo melius, quia ipsamet potentia habet virtutem ad æquate productionem actus, ut patet ex eo, quod primum actum antecederent omnem habitum producat seipsa absque habitu: sed tam perfecte applicatur ad eum producendum

Habitus
auctur
per actus
intensio-
res se.

Et per
minus in-
tensos.

Habitus si
concurrat
effectiue
ad substan-
tiam actus.

Probabilia
quod ha-
bitus non
concurrat
effectiue.

Habitus
non con-
currat ef-
fectiue &
formali-
ter ad
actum.